



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXV. De lætitia & splendore candidatorum, ac de profectu eorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

est, multas opes habere cum bonitate & largitate admirabili. Petro igitur orante, Christus languidos & debiles curauit. Ottone autem largiente, Christus vincula & captiuitates ab-  
 voluit. Petri oratio & Ottonis largitio in salutem populi ab-  
 vno Christo dispensabantur: alter sanctitate, alter liberalita-  
 te pollebat: ille prodigaliter, ille liberaliter beneficus erat: v-  
 terque carceres aperuit; vincula soluit: sed ille prece, iste pre-  
 cio: ille mortuos suscitauit: iste, ne moreretur homines, mor-  
 bos fugauit. Quid enim fames, sitis, gelu & alia incommoda  
 vitæ nostræ, nisi morbi sunt, qui nisi congruis effugentur me-  
 dicinis, profectò exstinguunt hominem. Non tamen Otto-  
 nem Petro me quisquam putet velle adæquare; nisi fortè vt  
 Mantuam Romæ, vt Maro quadam proportionis ratione res  
 æquales fingit dicens: *Sic canibus catulos magnis, sic matribus hædos* *Virg. Egl. 1.*  
 Assimilant, naturæ scilicet ac formæ proportionem, non magni-  
 tudine corporis, aut quantitate. Sed tu, quod cœpisti euolue.

*De latitia & splendore candidatorum ac de  
 profectu eorum.*

°CAPVT XXXV.

**D**estruatis igitur fanis, collisis simulacris, multa-  
 to diuinitus sacerdote, victoria crucis erigitur,  
 construuntur baptisteria, dolia humo infodiun-  
 tur, cortinis velantur, omnibusque religiosè ac  
 sanctè apratis, populus per aliquot dies antè catechizatus &  
 instructus, ad aquam regenerationis, cum multa grauitate ac  
 disciplina, se offerebat; toto corpore balneis prius abluti, ac  
 lotis & mundis vestibus induti, cereos ardentes & albas suas  
 gestantes; ac sancti Spiritus accensi desiderio singuli apud se  
 in cordibus suis cantantes: *Quemadmodum desiderat ceruus ad* *Psal. 42.*  
*fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea*  
*ad Deum fontem, viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Do-*  
*mini.*

*Exhortatio S.  
Othonis ad ca-  
techumenos.  
Esal. 33.*

Pater verò spiritualis feruorem, & studia filiorum tacite mente considerans, abundantia lætitiæ spiritum excitante, obortisq̃ue præ gaudio lacrymis inter agendum in vocem exhortationis erupit dicens: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos: accedite. & illuminamini, & facies vestrae non confundentur.*

*Fulgor in Cul-  
tibus baptiza-  
torum.*

Nec abs re fuit talis ex ore Sacerdotis exhortatio. Videbat enim, quod & nos alij cum magnæ admirationis tripudio cõtuebamur; quodq̃ue ipsi ciues nos contemplari monuerunt, in vultibus scilicet omnium baptizatorum quendam iucundum & spiritalis gratiæ rutilare fulgorem: ita vt baptizati à non baptizatis, veluti lux à tenebris, facile discerni possent: quidûe tenebrosus dæmon suis cultoribus, & quid Deus lucis auctor & amator suis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebant egò de ipsa ciuitate, & de omni circum prouincia felices animæ ad regales nuptias ingredi festinantes; & Episcopo seorsim tingente solos mares pueros; alijs autem & alijs Sacerdotibus seorsim viros, & seorsim mulieres. Apud omnes opera Dei feruebant, & de Aegyp̃tia seruitute populo acquisitionis, transito mari, liberato, velut olim ad montem Sinai, lex panditur Euangelij, & quid Christianis fugiendum, sequendumûe sit, sicut sive plena docentur, sic & plena intentione discunt & facere ardent.

*Quamdiu Ste-  
tini mäschrift,*

Manimus ergò in eodem loco negotiosi operatores serè alijs tribus mensibus, destruentes & ædificantes, euellentes & plantantes, & irrigantes, ipso agro Dominico suis cultoribus grata & gratuita fœcunditate victum præbente necessarium. In omnibus enim victui nostro competentibus liberales nobis extiterunt & humani, optantes, vt si fieri posset, nunquam à se diuelleremur.

*\* Vbi antea  
Contina san-  
ctum Triglaste  
fuerat.*

Ordinatis autem illic omnibus, quæ rudi Ecclesiæ profutura credebantur, extructaque Basilica diligenti artificio in medio foro Stetinensi, collatisq̃ue omnibus, quæ sacerdotalis officij ratio poscebat, qui populo præfesset, sicut vbiq̃ faciebat, sacerdotem inuestire curauit.

De